


ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. XCIV



TYPIS VATICANIS
MMII

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

De signo sanctae Crucis in benedictionibus semper adhibendo

Cum ex usitato more semper liturgica vigeret consuetudo, ut in ritibus benedictionis signum crucis adhiberetur, id dextera manu a celebrante super personas aut res describendo, pro quibus misericordia impetratur, haec Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum ad dirimenda dubia statuit, ut, etiam si textus illius partis Ritualis Romani cui titulus *De Benedictionibus* silentio signum ipsum praetereatur vel expressa in eo careat mentione temporis opportuni huius actionis, attamen tamquam necessarium in quavis benedictione sacris ministris peragenda supradictum signum crucis usurpetur.

Hac vero absente mentione, tempus opportunum habeatur cum textus benedictionis verba *benedictio*, *benedicere* vel similia praebat vel his deficientibus verbis, cum concluditur ipsa oratio benedictionis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 14 Septembris A. D. 2002, in festo Exaltationis Sanctae Crucis.

GEORGIUS A. card. MEDINA ESTÉVEZ, *Praefectus*

✠ Franciscus Pius Tamburrino
archiep. *a Secretis*

L. ✠ S.

In Congr. de Cultu Divino tab., n. 1745/02L